

et liberatio a malo non potest intelligi quin aliquis sine debito, vel immunis a malo nascatur, etc. » Ita D. Thomas ubi ponderandum est D. Thomam negare illam gratiam præservativam quæ fieret parentibus tantum, vel naturæ, non ipsi personæ, eo quod reputat ut magnum inconueniens, quod aliqua persona in se personaliter non egeat redemptione, sed gratia quæ illi fit, sit in parentibus, vel ipsi naturæ, aut principiis naturæ, puta animæ, vel carni ante constitutam personam, et ante animationem. Secundo, ponderat quod ad liberationem per Christum disjunctive postulat D. Thomas vel debitum, vel culpam in eo qui redimendus est, ergo si efficienter salvat D. Thomas redemptionem per Christum in aliquo qui solum nasceretur cum debito, non amplius requirit quando loquitur de Virgine, et infert pro inconvenienti, quia alias non indigeret redemptione per Christum, intelligit enim quod non indigeret si conciperetur sine debito, aut sine peccato, non tamen si conciperetur sine peccato, dummodo conciperetur cum debito in persona. Et quoties D. Thomas infert quod non indigeret redemptione, ly non indigeret, est quia includitur etiam debitum, hoc enim si datur sufficit ad indigentiam liberationis, ut ex isto loco colligitur. Et ita locus hic maxime præluet menti D. Thomæ introspectiendæ in aliis locis.

Deinde, oportet conferre inter se loca D. Thomæ ex iii sententiarum, et ex iii p. ut constet quomodo ipse distinxerit gratiam istam præservativam, et quomodo negaverit. Nam in iii distinctione, quæstio i, artic. i, inquit in prima quæstiuncula an B. Virgo fuerit sanctificata ante quam conceptio carnis finiretur, id est, dum caro illa erat sub forma embryonis, vel in seminali materia. Et respondet negative. In quæstiun-

cula secunda inquit an sanctificata fuerit ante infusionem animæ: et respondens huic quæstioni dicit: « Ad secundum quod sanctificatio B. Virginis non potuit esse decenter ante infusionem animæ, quia gratiæ capax nondum erat, sed nec etiam in ipso instanti infusionis, ut scilicet per gratiam tunc sibi infusam conservaretur ne culpam originalem incurreret. » Ecce manifestissime agnoscit D. Thomas gratiam præservativam ne incurratur macula in illo instanti infusionis animæ, et distinguit illam ab ea gratia, quæ fieret Virgini ante animationem, et constitutionem personæ sive in suis parentibus, sive in materia sui corporis, aut in anima, cum tamquam distinctas difficultates ista pertractet. Et idem colligitur ex iii ad Anibaldum, distinctione iii, quæstione i, artic. i, ubi dicit: « Quod nec ante conceptionem nec in conceptione ante animationem, nec in ipso instanti infusionis animæ, sanctificata est, » distinguit ergo omnes istos modos sanctificationis, tum ante instans animationis, tum in ipso instanti in quo jam præservaretur, seu conservaretur persona ne incurreret in peccatum, et non solum ipsa actio, seu materia corporis, aut parentis præservarentur ne generarent prolem in peccato. Licet D. Thomas in istis locis tertii sententiarum omnes istos modos sanctificationis excluserit, tamen postea, id est, in iv sententiarum citato et in iii p. quæstione xxvii, art. ii, istum ultimum modum de sanctificatione præservativa in eodem instanti infusionis animæ, vel suppressit, et omisit, vel explicavit. Suppressit quidem in iii parte citata ubi inquit: « Quod sanctificatio B. Virginis non potest intelligi ante ejus animationem, » et concludit: « Et sic quocumque modo B. Virgo ante animationem sanctificata fuisset, nun-

quam incurrisset maculam originalem culpæ, et itæ non indigeret redemptione per Christum. » Ubi s. doctor per ly incurrisset maculam, intelligit etiam debitum, tum ex explicatione supra relata ex quarto sententiarum, tum quia loquitur in casu sanctificationis ante animationem, in quo casu ipsa personaliter non esset obnoxia, sed in sua persona careret omni debito, tum ex ratione adjuncta, quia non indignisset redemptione, verbum autem indigere semper refertur ad debitum, ut ostendimus ex D. Thoma. Qui autem habet debitum, etsi non peccatum, indiget redimi, seu indiget liberatore periculi in quo est, quod D. Thomas negat. Quare in hoc loco iii partis omnino omisit illum modum sanctificationis præservativæ pro eodem instanti, et sic solum loquitur in casu ante animationem dicens: « Et sic quocumque modo ante animationem, etc. » Explicavit autem iv sentent. dist. XLIII, citato quod ad liberationem, et redemptionem sufficit, vel debitum in persona, vel culpa, et ita si B. Virgo præservata est a culpa, dummodo in persona habuerit debitum, nihil contra D. Thomam, sicque ista duo loca, quia sunt posteriora illis ex iii sententiarum citatis, plenius explicant mentem s. doctoris ut jam facimus.

CONFORMAT SE D. THOMAS SENSUI
ECCLESIAE.

Ex his prænotatis liquido constabit de mente doctoris sancti, quæ si attente fuisset considerata, et collatis diversis suis locis inspecta, nihil sinistrum unquam de illo fuisset suspicatum in hac parte. Itaque invenit D. Thomas jam suo tempore controverti hanc difficultatem, et multos inclinare in immaculatum con-

ceptum Virginis, Ecclesiasque non paucas celebrare hoc festum ex tolerantia Romanæ Ecclesiæ, ipsam tamen Ecclesiam Romanam nondum illud celebrare. Unde permixte sollicitus fuit de uno puncto, quod in hac materia gravius, et considerabilius est, et ad doctrinam christianam præcipue spectans, videlicet ne gratia sanctificationis, quæ tribuebatur conceptioni Virginis, ita sinistre intelligeretur ab aliquibus, quod non ipsi personæ Virginis diceretur fieri hæc gratia, sed quæcumque gratia, seu beneficium hoc sit, ipsi personæ Virginis debet fieri, non parentibus sanando vitium naturæ, non conceptioni activæ seu præparativæ, et commixtioni seminum, non embryoni, postremo non animæ, neque carni ante animationem, et constitutionem personæ. Hoc voluit maxime observari D. Thomas et in hoc totum suum studium posuit, quia videbat, si in hoc sinistra aliqua intelligentia inolesceret, et semel admittetur non ipsi personæ Virginis fieri hoc beneficium, destrui grande principium in fide, quod daretur aliqua persona inter homines, quæ in se personaliter, seu ratione suæ personæ non indigeret redemptione Christi. Ad hoc autem necesse erat ponere debitum aliquod, seu periculum in ipsa persona, a quo si non teneretur, non liberaretur. Propter quod in his duobus locis, quæ videntur esse postremæ determinationes in D. Thoma scilicet dist. XLIII citata et iii p. quæstione xxvii, art. ii, solum fuit sollicitus ne gratia ista et beneficium sanctificationis fieret Virgini ante animationem, ita quod non ipsi personæ fieret, sed antecedenter ad existentiam personæ vel ipsis parentibus, vel conceptioni activæ vel carni dum generabatur, vel animæ ante infusionem, hæc enim nondum sunt persona.

Hoc puncto stabilito, quod præcipue fuit curæ D. Thomæ et in quod totum pondus rationis suæ libravit, scilicet quia alias non indigeret redemptione in sua persona, si debitum saltem non haberet, in quo et Scotus convenit, dum ponit solum in instanti reali potuisse Virginem liberari, et in instanti naturæ esse cum debito, ut patet in tertio dist. III quæstione I §. Si autem, respondendo ad secundam replicam : hoc inquam stabilito, de reliquo an scilicet habendo debitum in sua persona, de facto non contraxit culpam, sed præservata fuerit B. Virgo in instanti reali suæ animationis, utriusque opinioni locum dedit Div. Thomas quia erat quæstio de facto. Sed quia videbat Ecclesiam nondum celebrare, sed tantum tolerare illud festum, voluit adhærendo Romanæ Ecclesiæ, ejus salvare rationem. Ratio autem qua Romana Ecclesia tunc ducebatur ea erat quam affert doctor sanctus quodlib. VI, quæstione V, art. II, quia Romana Ecclesia inquit, et aliæ plurimæ considerantes conceptionem Virginis in originali peccato fuisse, festum conceptionis non celebrant. Si ergo Ecclesia hoc tunc considerabat, et sentiebat, quomodo poterat doctor sanctus non magis inclinare in hanc partem quia sic sentiebat tunc Romana Ecclesia cujus sensum debebat s. doctor defendere, tum in determinando quæstionem de facto qualis ista erat, oportebat expectare iudicium Ecclesiæ, et non rationum humanarum ponderibus duci, ut in suis litteris docet Gregorius XV supra relatus. Noluit ergo in quæstione de facto D. Thomas aliud sequi quam id quod iudicabat, et sentiebat tunc Ecclesia Romana, in cujus auctoritate debent fideles conquirere. Sed tamen ut locum etiam alteri opinioni daret quantum Ecclesia tunc permittebat, addidit III p. quæstione XXVII, art.

II et III : « Quod quia Ecclesia Romana tolerabat illius festi celebrationem, non erat totaliter reprobanda. » Ecce quomodo semper D. Thomas inhæret sensui Romanæ Ecclesiæ, semper eam honorat, semper salvat. Unde cum modo Romana Ecclesia, non solum tolerat, sed etiam positive præcipiat celebrari tale festum, illudque magnis favoribus prosequatur, loquendo in apparenti, vi doctrinæ D. Thomæ et pia opinione oportet vice versa de his sententiis censere, et D. Thomas sic pie censeret; si enim ex sola tolerantia Romanæ Ecclesiæ, illa festivitas tunc non erat spernenda, ex positivo præcepto, et favore quanto magis diceret venerandam? Præsertim cum in argumento sed contra quo solum tamquam probabili utitur D. Thomas, ex hoc probet B. Virginem sine peccato fuisse natam, quia ejus nativitas celebratur ab Ecclesia, ut patet eadem quæstione XXVII, artic. I, ergo idem de conceptione diceret, si tunc eodem modo celebraretur sicut nativitas. Pro illo ergo tempore sic censuit D. Thomas sicut Ecclesia Romana sentiebat, pro isto vero sentiret id quod illa sentit, et eo modo quo sentit, in his enim quæstionibus de facto juxta diversa tempora, variatur iudicium, et crescit rerum notitia paulatim.

Quod vero aliqui afferunt ex primo sententiarum, dist. XLIV, q. I, art. I, ad III, ubi D. Thomas inquit : « Talis fuit puritas B. Virginis quæ peccato originali et actuali immunis fuit, ibi sicut ly immunis cadens super actuale peccatum, omnem ejus contagionem excludit, ita cadens super originale, omnem ejus contractionem excludere debet. Respondetur quod dicit D. Thomas vel quia utriusque opinioni favit, quæ tunc currebat in Ecclesia, una ut tolerata ab Ecclesia Romana, alia ut asserta, licet propter illius Ecclesiæ honorem

et obedientiam magis et pluries inclinaverit Div. Thomas in assertam, quam in tolerantam. Vel illud verbum immunis sumitur generali modo pro immunitate, vel præservante, vel liberante atque adeo verbum illud non est omnino expressum, nec plene declarat mentem s. doctoris, præsertim quia ibi solum obiter et per transennam rem istam tangebatur, mens autem alicujus auctoris ex locis in quibus ex professo rem aliquam tractat indaganda est.

Et ita hanc nostram sententiam tenet Porrecta, III p. quæstione XXVII, artic. II, et videndus est m. Medina super eundem locum defendens etiam opinionem piam probabiliter, et Cajetanus ut probabilem reputat, tom. II opusc. tract. I, cap. V et m. Soto, in cap. V epist. ad Rom. loquens juxta consuetudinem celebratis hujus, quæ modo est in Ecclesia, inquit : « Quod exceptio B. Virginis ab hac universali sententia Pauli est usque adeo celebris non modo inter plebeios, sed inter bonos doctores quales præcipue sunt illustrissimi Parisienses, ut si qui hanc sibi exceptionem persuadere non possunt, ut cui Paulus refragari videatur, haud tamen debeant publicitus talem prodere disputationem. » Ita Soto; quæ ideo dixerim, ut constet illustres Thomistas sequentes D. Thomam non multum hæere in hac quæstione de facto, nec in illa magis radicari, quam Ecclesiæ sensus postulat.

Dices : In quodlibeto VI citato expresse dicit S. Thomas B. Virginem fuisse inclusam in illa universali in quo omnes peccaverunt : « A quo solus Christus excipitur, qui in Adam non fuit secundum seminalem rationem, alioquin si hoc alteri conveniret quam Christo, non indigeret Christi redemptione; » ergo utitur illa consequentia non indigendi redemp-

tionem, non solum ad probandum quod habeat debitum, sed etiam peccatum. Respondetur attendenda esse verba Div. Thomæ, dicit enim, ab illa universali solum Christum excipi, qui non fuit in Adam secundum seminalem rationem alioquin si hoc alteri conveniret, id est, si conveniret non esse in Adam secundum seminalem rationem (id enim refert, et demonstrat pronomen hoc) et ita non contraheret peccatum, non indigeret Christi redemptione, quod manifestissimum est, qui enim per seminalem rationem ab Adam non descenderet, nullum debitum incurrendi peccatum haberet nec indigentiam redemptionis, cum ex vi legis non deberet contrahere peccatum. Unde directe non solum probavit D. Thomas non indigere redemptione, non qui de facto non contrahit peccatum in persona sua, sed qui non contrahit, quia in Adam non est secundum seminalem rationem, atque adeo nec debitum contrahendi habet, et ita negatio indigentiam redemptionis semper excludit debitum apud D. Thomam. Quia tamen ut in illo quodlibeto refert Ecclesia Romana, et aliæ Ecclesiæ tunc sentiebant de facto contraxisse B. Virginem peccatum, ideoque non celebrant illud festum, ideo non redemptionem præservativam ibi possunt, sed ordinariam, sicut aliis locis; non tamen in hoc multum fuit sollicitus, quin etiam alii opinioni locum aliis locis non dederit ut vidimus.

RESPONSIO AD OBJECTA CIRCA HANC PROPOSITIONEM.

Ex his relinquuntur exposita, quæ contra D. Thomam in hac parte objecta sunt articulo præcedenti dum referebamus ea quæ in D. Thoma notantur. Itaque ad primam objec-

tionem dicimus D. Thomam in illis verbis non censurare aliquo modo assertionem opinionis piæ, sed solum asserto illi Pelagii se opponit, quod dicebat loquendo ex vi legis quod non omnes peccaverunt in Adam nullo prætermissio, sed solum multi. Contra hos dirigit censuram D. Thomas ut vidimus, hæc autem censura non est contra eos qui dicunt ex privilegio B. Virginem esse præservatam, non ex vi legis ut satis ostensum est.

Ad secundum in quo objicitur D. Thomas dum dicit celebrari potius festum sanctificationis quam conceptionis contrariari decreto Gregorii xv jubentis ubique sub nomine conceptionis celebrari, respondetur omnino insulse et insipienter id objici. Primo quidem, quia D. Thomas non reddit ibi rationem celebrationis hujus festi eo modo quo nunc facit Ecclesia Romana, sed reddit rationem quare tunc tolerabat Romana Ecclesia illam celebrationem in aliis Ecclesiis, ipsa tamen non celebrabat. Et dicit hoc fecisse tunc, quia attendebat magis ad sanctificationem quam ad conceptionem. Quæ ratio optima est respectu illius tolerantiae, quæ tempore D. Thomæ erat, pro quo casu non loquitur decretum Gregorii. Nunc vero jam Ecclesia non solum tolerat, sed et præcipit illud festum in quo casu non loquitur S. Thomas. Unde ergo contrarietas est inter dictum S. Thomæ et decretum Gregorii? Secundo, quia aliud est agere de nomine, seu titulo sub quo celebrari debet hoc festum, aliud de ratione celebrandi. De nomine non negat D. Thomas, quin potius admittit non esse reprobendam festivitatem de conceptione (ecce titulus, seu nomen sub quo celebratur) de ratione vero celebrationis dixit, potius esse sanctificationis festum quam conceptionis. Et hoc verum est, quia non celebrat

Ecclesia de aliquo nisi ratione sanctitatis. Et Gregorius xv jubet sub nomine conceptionis celebrari, de ratione vero celebrandi nil dicit. Tertio, illa restrictiva: Potius celebrat festum sanctificationis quam conceptionis, non negat conceptionem celebrandam, imo ly potius, supponit etiam de illa celebrari, sed quia potiore rationem celebrationis obtineat, ostendit, aliud est enim potius sanctificationem attendi, aliud est conceptionem excludi. Et cardinalis Bellarminus, in ii tom. iii, de cultu sanctorum, capit. xvi dicit quod præcipuum fundamentum hujus festi non est conceptio immaculata, sed simpliciter conceptio Matris Dei futuræ, qualiscumque enim fuerit illa conceptio, eo ipso quo conceptio fuit Matris Dei singulare gaudium affert mundo. Si ergo hoc est præcipuum fundamentum qualiscumque fuerit conceptio, cur D. Thomas quia dixerit potius sanctificationem quam conceptionem celebrari, id est, præcipuum fundamentum esse sanctificationem? Denique, hoc solum pertinet ad quæstionem de facto, in quo mutatio accidere potest juxta diversa Ecclesiæ statuta. Tunc Ecclesia Romana non illud decreverat celebrari sub nomine conceptionis, nec celebrabat ipsa. Modo et celebrat et decernit D. Thomas rationem et narrationem reddidit ejus quod suo tempore currebat. Non contrariatur ei, quod alio tempore, id est, nunc Ecclesia decernit. Nec Gregorius iv determinat quod tempore D. Thomæ celebrabatur. Unde ergo contrariantur.

ARTICULUS III.

Satisfit aliis propositionibus D. Thomæ, objectis in primo genere.

Secunda probatio in D. Thomæ objecta, est: Non facere religiosum

vota simplicia, nec absque professione solemniter censendus est aliquis religiosus. Verba S. Thomæ ita se habent 2-2, quæst. CLXXXVI, art. ii, ad 1: « Ad primum dicendum, quod duplex est votum: unum, solemniter quod hominem facit monachum, vel alterius religionis fratrem, quod vocatur professio, et tale votum debet præcedere annus probationis, ut probat objectio. Aliud autem est votum simplex, ex quo aliquis non fit monachus, vel religiosus, sed solum obligatur ad religionis ingressum, et ante tale votum non oportet præcedere probationis annum. » Item in 2-2, quæst. CLXXXIV, art. iv dicit: « Quod in statu perfectionis dicitur aliquis esse proprie ex hoc quod obligat se perpetuo cum aliqua solemnitate ad ea quæ perfectionis sunt. » Et quolibeto 1, art. xiv, ad 1: « Non dicuntur habere statum perfectionis nisi qui se ex solemniter professione ad hujusmodi obligant. » Et idem docet opuse. xviii, cap. xvi in fine.

Difficultas modo consistit, quomodo cum hac doctrina stet, quod aliqua vota simplicia faciunt vere, et proprie religiosum sicut faciunt vere in sacra societate Jesu religione constet ex decisione Gregorio xiii, in bulla: Ascendente Domino, et ex aliis Pontificibus.

Respondetur S. Thomam locutum esse de voto simplici considerato ex sua pura natura non ex adjecto apostolico decreto, seu acceptatione Ecclesiæ speciali, qua illud acceptat ad constituendum religiosum, nondum autem acceptaverat tempore D. Thomæ. Et secundo loquitur de religione, seu statu religioso prout suo tempore erat in usu et in decretis Ecclesiæ a cujus auctoritate derivatur omnis religio. Quod votum simplex ex natura sua religiosum non faciat probatione non eget, alias omni voto simplici id conve-

niret, cum tamen constet manifeste extra societatem Jesu vota simplicia non reddere religiosum. Unde cum D. Thomas loquatur de voto simplici in sensu formali, et ex natura sua, non ex adjuncta extrinseca acceptatione Ecclesiæ, quæ adhuc suo tempore non erat, optime dixit tale votum simplex non facere religiosum. Adde vero non potuisse aliter sentire D. Thomam de votis simplicibus in ordine ad constituendum religiosum, quam sensit, et dixit. Nam cum religio constituatur auctoritate, et ordinatione Ecclesiæ, tunc in tempore D. Thomæ Ecclesia solum censebat esse religiosos cum effectu, qui essent professi, ut constat ex cap. Religioso, §. Quamvis de sententia excommunicationis in vi ubi dicitur: « Quamvis autem is qui religionem ingreditur, religiosus cum effectu censi non possit, donec sit tacite, vel expresse professus; » ergo ex Ecclesiæ determinatione tunc non erat aliquis religiosus ante professionem: professio autem neque tunc, neque modo etiam in societate Jesu fit per vota simplicia, qui enim in societate post biennium emittunt vota simplicia, licet sint vere religiosi, non tamen professi; olim autem in Ecclesia nondum erat de facto ista species religiosorum ante professionem, ut constat ex præfato decreto. Unde Div. Thomas loquens pro illo tempore non potuit ponere quod de facto esset tunc religio per vota simplicia, et ante professionem. Imo mitius locutus est Div. Thomas quam jus ipsum canonicum. Nam jus canonicum dixit: Non potest cum effectu religiosus censi. At D. Thomas abstinuit a verbo potest, et solum dixit quod non fit aliquis religiosus per votum simplex, sed per professionem, quia solum locutus est de facto, et prout religiosus status erat tunc in Ecclesia.

At vero loquendo de possibili, et